

EX EPISTOLA D. APOSTOLI  
JOHANNIS II.  
ZH̄THMATA GRAVIORA.

**I**N primis novem versiculis non occurunt aliquia peculiaria, nisi ejusmodi, quæ dilucidè satis ante disusla & examinata sunt: Illos ergò prætereo. Ad *vers. 10.* verò, qui sic sonat; *si quis ve-*  
*nit ad vos & hanc doctrinam non adfert, ne recipiatis eum in do-*  
*mum, nec Ave ei dixeritis, talem quæstionem formo.*

**Q.** I. *An Christiano cum Hæreticis sit licitum conversari?*  
Resp. Diversimodè D. Osiander in glosl. marginal. Bibl. commentatur: Non prohibet hic D. *Apostolus Jobannes* ne ulla humanitatis officia exhibeamus iis, qui alienam, quam nos, amplectuntur Religionem, nec vetat, ne falsos Doctores civili salutatione alloquamur; Sed interdicit (1.) ne familiaritatem nimiam cum ipsis colamus. Nec (II.) Fraternitatem cum iis contrahamus. Alius hanc distinctionem subministrat: Conversatio Christianorum cum Hæreticis prohibetur quæ (1.) à rudioribus & infirmis. (2.) nulla urgente necessitate. (3.) Sine omni contradictionis testificatione; Ne videamur cum illis in Religione colludere, (4) Emolumenti proprii; Aut certè (5.) tacitæ collusionis, oblectationis, claudicationis, & defectionis causa. (6.) Præsentissimo cum Piorum offendiculo instituitur. E contra verò quæ (1.) à Doctribus qui fundamenta consecuti sunt in nostrâ religione (2.) confirmatis in fide. (3.) ex necessitate, (4.) ab interveniente apertâ disensus testificatione (5.) non emolumenti proprii; sed (6.) emendandi proximi causa, instituitur, nuspian est prohibita. Qui conversationis modi bene observandi sunt. *Nos* jam his reipsonionem addimus, & quidem tam. Christianus in hoc mundo duplicem quasi vitam agit; unam spiritualem & Ecclesiasticam, quoad fidem & Sacra menta: alteram vero Politicam & Externam, quoad cohabitationem & Contractus civiles. Respectu prioris segregare nos debemus à consortio Hæreticorum, qui aliam quam nos profitentur doctrinam

T

doctrinam